

nem; operatio enim posterior est præsentia, imò potest o-
peratio alicujus causæ alicubi esse, ut tamen res ibi non sit
præsens, quamvis hoc de DEO dici nequeat, qui ubique est
præsens.

§. 5. Objicitur (2.) ex Martino Schookio: Frustra pro
explicanda DEI immensitate humana ratio hæc (sanè in se ima-
ginaria) excogitavit. Nam quanquam infinitus DEUS hoc
mundo, speciatim supremo cælo, inferiora hæc ambiente defini-
ri sive circumscribi non potest, non tamen necessum est fingere
spatia imaginaria pro explicandâ DEI immensitate. Quot enim
quanta enim spatia mens nostra excogitaverit, non poterit ta-
men eum, qui infinitus est, infinito modo definire. Sed volens
nolens fateri cogetur, immensum DEUM, uti ante hunc mun-
dum, sic etiam post eundem creatum (cui cum aliis ipse illocalis
sit, solummodo coexistit) existere invariabiliter in seipso. Resp.
distingendum esse censemur inter cognitionem DEI ap-
prehensivam, qualis est nostra: & comprehensivam, qua-
lem nulli adscribimus creaturæ. Deinde non frustranea &
temeraria est hæc assertio: Cum enim omnipræsentia divi-
næ objectum, quod est totus mundus & quicquid in eo est,
sit ratione sui vastissimum, in respectu tamen ad DEUM
Ens simpliciter infinitum, est non tantum perexiguum, sed
instar nihili. Hinc viri in omni literaturâ versatissimi sta-
tuunt, extra hunc mundum DEUM existere in spatiis ima-
ginariis per essentia immensitatem absque ordine ad rem
extra ipsum in seipso, ut nempe ostenditur, DEUM nun-
quam hujus mundi terminis terminari. Benè hisce ratio-
nem tradit Calovius, Tom. 2. Syst. Theol. Imaginaria dicuntur,
non tamen mera commenta sunt cerebrina, nisi etiam distinctio-
nem rationis ratiocinata, quam vocant, imperitè eò locò habere
velis. Et paulò post: Cæterum, cum per hæc non ponatur ali-
quis